a)

SIXTUS PP IIII.

Dilecti filij Salutem et apostolicam benedictionem. Accepimus litteras vestras quibus ut dilectum filium franciscum de Sabbaudia notarium nostrum Lausanen ecclesie preficeremus in episcopum et pastorem velimus supplicatis. Nos filij dilecti franciscum ipsum tum ob familie dignitatem: tum ob uirtutes et merita sua singulari prosequimur caritatis affectu: eumque domino auctore honorare: et ornare intendimus. Sed hoc tamen nec ipsi: nec uobis possumus complacere. Quia minor est annis et propterea ut audire potuistis et nos alias ad uos scripsimus ecclesiam ipsam prouida consyderatione: dilecto filio nostro Juliano tit. sancti petri aduincula presbytero cardinali nostro secundum carnem nepoti contulimus, quod ecclesie ipsi saluberrimum: uobisque omnibus iucundissimus esse poterit. Non consueuit hec apostolica sancta sedes prouisiones suas tam maturas presertim atque salubres mutare. Sed offeret se indies occasio in qua Franciscum ipsum poterimus honorare: et id libenti animo faciemus. Superest ut uos sicut bonos obedientie filios decet, procuratore dicti Car^lis^ nepotis nostri sincera in domino caritate recipiatis eique ad possessionem ecclesie antedicte pacifice consequendam omni studio et conatu curetis adsistere. et ita per presentes hortamur uos in domino et apostolica auctoritate monemus. Dat. rome apud Sanctum petrum sub annulo piscatoris die xxiii. Maii Mcccclxxii. Pontificatus nostri Anno primo.

L. Grifus.

b)

IULIUS PP. II.

Dilecte fili nr salutem et apostolicam benedictionem: Cum ciuitas tue de nobis et s. r. e. cuius honorabile membrum est benemerita ea paterne concedere uolentes per que ei honor accrescat salus proueniat animarum et Ciuitatibus, vrbibus, atque locis que ad s.^me^ lige obedientiam redeunt, benignam se reddere possis et gratiosam; Ultra ea que in nris legationis Tibi Commisse sub plumbo litteris confectis continentur et expressa eorundem litterarum ac omnium et singulorum in illis contentorum tenorem presentibus pro sufficienter expresso haberi uolentes, ex nra certa scientia ac de ap^ce^ sedis Potestatis plenitudine duodecim in nros et apostolice sedis Notarios, Totidemque Comites et Equites aule sacri Palatij Lateranen. et accolitos ap^cos^ alios tamen idoneos et sufficientes, Ac [illegible] no tamen ultra eundem numerum duodecim in ac Theologie et utriusque Juris gradus doctoratus et sufficientes, duobus uel Tribus in eisdem facultatibus Doctoribus, Tecum adhibitis, eorumque uotis Juratis, super quo tuam et illorum conscientiam oneramus, creare et aliquibus Cappellis de iure patronatus nobilium laycorum, usque ad numerum duodecim indulgentias septem annorum iuxta formam Quinterni Cancellarie apostolice et Interessentibus Benedictioni per te Populis dande concedere, Nec non omnes et singulas quarumcumque Ciuitatum Terrarum que ad s.^me^ lige obedientiam ut prefertur uenerint, Et Milites tam equites quam Pedites undecumque sint, qui contra nos et s. r. e. res arma sumpserint ab omnibus et singulis Censuris et penis in Monitorio propterea per nos edito absoluere, penitentiaque salutarem iniungere, dummodo tamen in tuis manibus Juramentum emittant, et solemne uotum [illegible] post hac ut prefertur arma non sument, neque ea scismaticis ac dannatis olim Cardinalibus, neque eorum Conciliabulo quouismodo fauebunt, ac [illegible] quibus supposite Ciuitates, Terre et oppida, ac loca huiusmodi sunt, relaxare possis et ualeas, auctoritatem et facultatem concedimus per presentes: Non obstantibus illis que in dictis legationis Tibi facte ac Monitorij ut prefertur a nobis emanatis litteris uolumus non obstare: Ceterisque Contrarijs Quibuscumque. Dat. Rome apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xiiij Junij. M. D. XII. Pont^s^ nri Anno Nono.

Balt^ar^ Tuerdus.

c)

PAULUS PP. V.

Dilecti filij Salutem et Apostolicam benedictionem. Periucundę nobis fuerunt literę uestrę, in quibus primum summoperè laudamus pietatis, et filialis uestrę singularè studium erga sanctam Hanc sedem; deinde zelum Charitatis, quo aliorum errata doletis, et conuersionem aberrantium ad meliora consilia desideratis, valdè probamus. Planè opinionem, quam de prudentia, et pietatè istius egregij Senatus habebamus, confirmastis. Iam uero experimento cognoscimus, quod vtiquè procul dubio semper credidimus; uos summo iure appellari Defensores Ecclesiasticę libertatis. Vidimus quidem, quam benè virtutem uestrorum maiorum ęmulamini, qui tantum, et tam splendidum nomen sibi compararunt: cum uos eadem animi promptitudine, qua illi, quoties opus fuit, fortiter, ac constanter pugnando, dignitatem huius sanctę sedis tutati sunt, uires, opes, copias nobis pro Sanctę Romanę Ecclesię matris uestrę amantissimę maiestate retinenda, obtuleritis. Et nos quoque Hoc uestrę deuotionis, et filialis obseruantię officium eo in uos animi propensione accepimus, vt re ipsa quantum cum Domino poterimus, declaraturi simus uobis, uigere semper in animo nostro memoriam significationis huius egregię uoluntatis uestrę. Nec vllam vnquam pretermittemus occasionem, qua commodè possimus Hac de causa vobis gratificari. Interea Deum precamur, à quo cuncta bona procedunt, ut uos continua protectione custodiat, ac simul uobis peramanter benedicimus. Datum Romę apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris. Pridie Idus Augusti MDCVJ. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Petrus Strozza

33

A. D. 1472. 1512. 1606. — Papal Briefs.

Fribourg (Switzerland), Archives cantonales, and Milan, Biblioteca Ambrosiana